

Si sincerè & studiosè hoc feceris, & hanc ad rem continuò gratiam S.S. à Jehova imploraveris ; coronam justitiæ certo certius reportabis; ex promissionibus 2. Tim. 4, 8. 1. Joh. 2, 28.

Quod faxit Dominus noster Jesus Christus cui laus, imperium &c.

DOMINICA XIV.

Ex Quæst. 33. & seq.

CHRISTUS FILIUS DEI, ET
Dominus noster, nostro bono.

TEXTUS Joh. I, II. ad 15. usque.

Vers. 11. Ad sua venit, & sui eum non exceperunt.

v. 12. Quotquot autem eum exceperunt, dedit eis hoc jus ut filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus:

v. 13. Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.

v. 14. Et sermo ille factus est caro, & commoratus est inter nos (& spectavimus gloriam ejus, gloriam inquam, ut unigeniti egressi à Patre) plenus gratiæ ac veritatis.

QUÆST.